

1970

# Division de la Préfecture de la Cimbébasie en Cimbébasie Inférieure et Supérieure - (1-VII-1892)

António Brásio

Follow this and additional works at: <https://dsc.duq.edu/angolavol4>

 Part of the [Catholic Studies Commons](#)

---

## Recommended Citation

Brásio, A. (Ed.). (1970). Division de la Préfecture de la Cimbébasie en Cimbébasie Inférieure et Supérieure. In Angola: 1890-1903. Pittsburgh, PA: Duquesne University Press.

This 1892 is brought to you for free and open access by the Spiritana Monumenta Historica at Duquesne Scholarship Collection. It has been accepted for inclusion in Angola: 1890-1903 by an authorized administrator of Duquesne Scholarship Collection.

DIVISION DE LA PRÉFECTURE DE LA CIMBÉBASIE  
EN CIMBÉBASIE INFÉRIEURE ET SUPÉRIEURE

(1-VIII-1892)

SMOMAIRE — *Motivation de la division de la Préfecture de Cim-  
bébasie. — Limites prescrites aux deux Préfectures.*

Quo fructuosius provideretur evangelicae praedicationi in peramplis regionibus quae modo Praefecturam Apostolicam Cimbebasiensem in Africa constituunt, expediens visum est praefatam missionem dividere, pluresque illuc mittere evangelicos operarios. Quapropter in generali conventu diei 25 superioris mensis julii, E.<sup>mi</sup> Patres sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositi, re mature perpensa, statuerunt ut praedicta missio sequenti lege dividatur.

Efformetur scilicet ex ea, in regionibus septentrionalibus, independens missio, Praefectura apostolica Cimbebasiae superioris nuncupanda, curae Congregationis Spiritus Sancti et Immaculati Cordis Mariae relinquenda, cujus limites hi erunt: ad septentrionem cursus fluminis Kassai; ad orientem gradus 22 longitudinis orientalis (Greenwich); ad occidentem cursus superior fluminis Cunene; ad meridiem arcus meridianus qui sequitur, ab occidente orientem versus, cursum inferiorem praedicti fluminis Cunene, quique modo etiam possessiones lusitanicas et germanicas dividit.

Insuper constituatur alia Apostolica Praefectura, cui nomen erit Cimbebasiae inferioris, Congregationi Oblatorum Mariae Immaculatae concredenda, sequentibus confiniis: ad septentrionem cursus inferior fluminis Cunene et arcus meridianus qui ipsum sequitur, praefatas dividens lusitanicas ger-

manicasque possessiones; ad orientem gradus 22 longitudinis orientalis (Greenwich); ad meridiem gradus 23 latitudinis australis, ea lege ut civitas Rehoboth una cum ipsius territorio pertineat Praefecturae apostolicae fluminis Orange; ad occidentem Oceanus Atlanticus.

Demum regiones Bechuanaland nuncupatae, pariter usque modo Cimbebasiensi missioni subjectae, Vicariatus Apostolico Status Liberi Orange incorporentur. Has autem regiones, sequentes circumscribunt limites, scilicet; ad septentrionem gradus 23 latitudinis inter intersectiones gradum longitudinis 20 et 52; dein ipse gradus 22 usque ad lineam Tropici; haec vero linea usque ad flumen Limpopo, apud confinia missionis Transvallensis: exinde flumina Limpopo et Notuani et Hart usque ad inroitum hujus fluvii in territorium de Griqualand West; dein ejusdem Griqualand West limites septentrionales et flumen Orange, usque ad praedictum gradum 20 longitudinis; demum idem gradus usque ad 23 latitudinis.

De quibus omnibus SS.<sup>mo</sup> D. N. Leoni Div. Prov. PP. XIII, in audientia diei 31 ejusdem mensis julii, per infra-scritum Archiepiscopum Tamiathensem S. Congregationis de Propaganda Fide Secretarium relatione peracta, eadem Sanctitas Sua supra expositum E.<sup>morum</sup> Patrum sententiam ratam habuit, confirmavit, praesensque ad id confici jussit Decretum.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 1 augusti, anni 1892.

† *M. Card. Ledóchowsky*, Praef.

† *Ignatius*, Archiep. Tamiathen. Secriūs

BGCSSp., 1892, p. 605.